

posse gratiam quæ certò voluntatis consensum obtineat. Id autem quid aliud est, quam omnipotentiam divinam penitus labefactare? Hinc Assermetus negare non dubitavit, Deum *respectu salutis humanæ* non esse omnipotentem. (*Tract. de grat. pag. 720.*)

Prob. 3^o. ex Augustino. Contendebat Julianus liberum arbitrium ita esse in æquilibrio constitutum, *ut tam liberum sit homini adulterium committere velle, quàm nolle; ... tam liberum Deo obedire imperanti, quàm diabolo persuadenti.* (*Lib. 3. operis imperf. cap. 110. tom. 10. pag. 1095.*) *Libera tua;* inquit S. Doctor, *quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantum est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem, te indicat delirantem.* (*Ibid. cap. 217. pag. 1098.*)

Prob. 4^o. Æquilibrio quod impugnamus in eo positum est, quòd quantumlibet inæquales sint gratiæ & cupiditatis gradus, liberum tamen arbitrium vim æqualem habeat, sive gratiæ sive cupiditati obsequendi: atqui illud tum à ratione, tum à quotidiana experientia alienum est. Quamvis enim gratia & cupiditas libertatem nunquam auferant, certò tamen alterutra ad operandum inclinât & movet, ea nimirum quæ viribus prævalet, juxta illud Augustini effatum jam allegatum: *Quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est. Amor meus, pondus meum; eo feror quocumque feror;* hinc totiè in Scripturis servi peccati, vel justitiæ appellantur homines, prout in ipsis dominatur boni vel mali amoris affectus. *Gratias Deo,* inquit Apostolus, *quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis; liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* (*Rom. 6. v. 17. & 18.*)

Prob. 5^o. quia non levioribus incommodis obnoxium est potentiæ æquilibrio, quam inclinationis. Cur enim homo vel gravissimas peccandi

occasiones vitaret? cur vigilantiam christianam adhiberet? cur obcæcationem & indurationem pertimesceret? cur ipse Pharaeo diceretur obduratus? siquidem nec ipse, nec quisquam alius, juxta adversarios, caruit unquam æquilibrio potentiæ sine quo tolleretur libertas; ubi autem adest illud æquilibrio, ibi etiam occurrit gratiæ quæ, licet minima, vires confert superandæ cuilibet tentationi & concupiscentiæ pares & accomodatas.

Denique, æquilibrio illud rejiciunt centum Galliarum Episcopi in opere cui titulus, *le Corps de doctrine*, an. 1720, ubi de libertate indifferentiæ differentes, sic loquuntur: *Cette indifférence active, ce pouvoir de résister, soit à la grâce la plus puissante, soit aux tentations les plus fortes, ne doit pas être confondue avec un système qui supposerait dans la volonté des forces toujours égales pour faire le bien & le mal; ce qui est contraire à la doctrine de l'Eglise, touchant les forces du libre arbitre, diminuées ou affoiblies par le péché.* (*Art. 3.*)

C A P U T I I.

De Conscientia.

DUO erunt hujus capituli articuli: in primo, de conscientia generatim; in secundo, de variis ejus divisionibus dicturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conscientia generatim sumpta.

Conscientia est intimum animi iudicium, de actionis peculiaris bonitate aut pravitate pronuntiantis, & quid in his vel illis circumstantiis agendum omittendumve sit, aut quid fieri vel omitti debuisset dicentis. Conscientia enim non versatur tantum circa faciendam, sed etiam circa facta, vel ea approbando, sicut in Apostolo: *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; (2. Cor. I. 12.) vel ea redarguendo, qualis est conscientia damnatorum in inferno, *ubi vermis eorum non moritur*. (Marc. 9. 43.)

His præmissis, quæritur an conscientia sit morum regula, ita certa & incorrupta, ut malum sit quidquid contra eam agitur, bonum verò quidquid, eâ dicente, geritur.

PROPOSITIO.

Quidquid fit contra conscientiam peccatum est; quidquid autem, eâ dicente, geritur, non semper bonum est.

Probatur prima pars ex Apostolo qui ita pronuntiat: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. (Rom. 14. 23.) Atqui hæc Apostoli verba significant peccatum esse quidquid sit contra conscientiam: ibi enim de iis agit qui cibos quosdam prohibitos esse judicantes, ipsis tamen vesciebantur. *Quæ autem discernit (cibos licitos à vetitis) si manducaverit (cibum quem prohibitum credit), damnatus est, quia non ex fide*, id est, non ex conscientiæ iudicio agit: *omne autem quod non est ex fide, sive ex conscientia, peccatum est*.

Prob. 2^o. Quia voluntatem peccandi habet qui agit contra conscientiam. Quid est enim agere, reluctante conscientia, nisi vel aliquod facere quod prohibitum esse judicamus, vel id omittere quod faciendum credimus? Atqui profectò voluntatem peccandi habet quisquis id agit quod vetitum putat, vel omittit quod faciendum existimat; ergo 1^o. quod fit contra conscientiam semper malum est.

Prob. secunda pars. Illud non semper bonum est, quod legi divinæ summæque rationi interdum adversatur: atqui quod, dicente conscientia, geritur, legi divinæ, &c. cum scilicet fit ex conscientia errante quæ suum potest errorem depellere. Nonne, v. g. contra legem divinam peccavit Apostolus, cum Ecclesiam Dei vexaret, & in ipsius excidium totis viribus, & approbante conscientia, niteretur? Nonne legem divinam violârunt qui Christi discipulos interficientes, obsequium se præstare Deo ex intimâ conscientiæ persuasione judicabant? Ergo 2^o non semper bonum est quod juxta conscientiam agitur.

Solvuntur objecta.

Objicies 1^o. adversus primam propositionis partem. Conscientia errans non est morum regula; ergo quod fit contra conscientiam, non semper malum est.

Resp. Neg. conseq. Quod enim contra conscientiam errantem agitur, non idem malum dicimus, quia hujusmodi conscientia est morum regula. Illo quippè nomine prorsus indigna est, cum à lege divina dissentiat: cur ergo peccat qui, conscientia reluctante, agit? quia scilicet peccandi voluntatem habet, siquidem illud facit quod vetitum putat.

Obj. 2^o. Si quis peccet contra conscientiam errantem agendo, eam sequi tenebitur: atqui ridi-

culum est teneri aliquem conscientiam errantem sequi; ergo contra eandem agendo non peccat.

Resp. Neg. maj. Qui enim conscientiam habet errantem, nec contra eam agere, nec eam sequi debet. Sed inter utrumque illud extremum datur aliquid mediū. Tenetur scilicet errorem exuere, & falsum conscientiae iudicium emendare: quod ut assequatur, debet Deum orare, rem totam accuratè expendere, libros qui rem de qua agitur diligentè pertractant legere, pios doctosque viros consulere. Quibus adversus errorem remediis ita utendum est, ut si unum non sufficiat, ad alterum confugiatur.

Obj. 1^o. adversus secundam propositionis partem. Si quid agitur juxta conscientiam errantem, esset aliquando peccatum, qui hujusmodi conscientia laborat, necessariò peccaret: sive enim conscientiae iudicio obsequatur, sive ei resistat, haud dubiè peccabit: atqui nemo ex necessitate peccat, cum nullum sit peccatum quod vitari non possit; ergo quod agitur juxta conscientiam errantem, nunquam peccatum est.

Resp. Neg. maj. Licet enim homini conscientia errante laboranti undique sint angustiae, & certò peccaturus sit, quando in illo statu versabitur; ipsi tamen non incumbit vera proprièque dicta peccandi necessitas. Cum enim error conscientiae quo detinetur, ex hypothesi vincibilis sit, potest & debet eum deponere; v. g. qui ex conscientia errante credit proximo subveniendum esse per mendacium, quando stabit error ille, haud dubiè peccabit, sive mentiatur, sive non; sed non idcirco verà peccandi necessitate obstringitur, quia potest & debet errorem suum depellere, vel peritiores consulendo, vel rem maturiùs & diligentius introspicendo.

Obj. 2^o. Quod agitur contra conscientiam errantem, semper malum est; ergo è contrariò quod

agitur juxta eandem conscientiam, semper bonum est.

Resp. Nego consequ. Sicuti enim in dialecticis duae propositiones contrariae possunt esse simul falsa, quales sunt istae: *omnis homo est doctus*, *nullus homo est doctus*; ita & in moralibus duae contrariae possunt esse simul mala, qualia sunt agere contra conscientiam, & agere juxta conscientiam errantem: qui enim agit, reclamante conscientia, idipsum facit quod illicitum esse intimè animi persuasione judicat, ac proinde vult & amat peccatum; qui verò conscientiam vincibiliter errantem sequitur, idèò peccat, quòd ex ignorantia quam depellere potest & debet, rem faciat à lege prohibitam.

Quæres quale sit illius peccatum qui contra conscientiam agit.

Resp. illud tale esse, quale à conscientia iudicatur; id est, venialiter aut mortaliter peccat, qui id agit quod velut peccatum veniale aut mortale denuntiat conscientia. Ratio est, quòd peccatum velit committere, quale esse dicit conscientia, idcirco peccati mortalis reus est qui modicam pecuniam furatur, intimè persuasus se ira agendo peccare mortaliter; imò lethalem culpam etiam committeret, si grandem summam subripiendo, se leviter peccare falsò iudicaret, quia errorem hunc corrigere potest.

ARTICULUS II.

De Conscientiae divisionibus.

Conscientia dividitur 1^o. in veram seu rectam, quæ dicta licitum esset aut illicitum quod reipsa tale est; & in falsam sive errantem quæ licitum aut bonum iudicat: quod illicitum & malum est;

vel quæ illicitum aut malum pronuntiat: quod legi consentaneum est. Ubi conscientiæ error depelli potest, dicitur *vincibilis*; cum autem superari nequit, debitam adhibendo diligentiam, appellatur *invincibilis*. Ex iis autem quæ supra diximus satis liquet, nihil esse peccati in iis quæ fiunt juxta conscientiam, cujus error sive ignorantia est *invincibilis*, quia citra voluntatis consensum peraguntur; præterea conscientiam cujus error superari potest, à peccato non excusare.

2º. Conscientia dividitur in *latam* & *scrupulosam*. *Lata* dicitur ea quæ ex levibus tantum causis cupiditati faventibus, licitam esse actionem judicat; vel quæ pro levi peccato habet quod gravissimum existimari debet.

Conscientia *scrupulosa* quæ latæ opponitur, ea est quæ futilibus conjecturis & ratiunculis ducta, anxie & sollicitè timet ne mala sit actio. Sic appellatur quia, sicut scrupus sive lapillus asper pedem lædit, & gressum impedit; ita conscientia scrupulosa inquietam animi anxietatem parit, & obstat ne viam mandatorum Dei liberè & expedite decurrat, dum in ipso bono latentes mali quasi fibras suspicatur.

3º. Conscientia dividitur in *certam*, *dubiam* & *probabilem*. *Certa* est, cum prudenter & sine ulla rationabili errandi formidine, judicat aliquid licitum esse vel illicitum, bonum vel malum; *dubia* est, cum rationibus contrariis ita liberatur, ut ignoret utrum actio quæpiam licita sit, an illicita. Conscientia *probabilis* est judicium de actionis bonitate aut pravitate, iis nixum argumentis quæ verisimilia quidem videntur; sed quæ non sunt certa, nec errandi formidinem & periculum excludunt.

Cum verò de conscientia scrupulosa, dubia & probabili nonnulla sint quorum maxime utilis est cognitio, de triplici illo conscientiæ status speciatim disserendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Conscientia scrupulosa.

Quam agendi rationem in dirigendis scrupulosis sequi debeat prudens animarum moderator, hic raptim indicabimus.

1º. Diligenter explorare debet quibus ex causis nascantur scrupuli, ut aptum iis remedium afferre queat. Hanc notitiam ut assequatur, pœnitentis infirmitatem miserans, patientem illi aurem accommodabit, donec inquietas animi molestias descripserit. Postquam cordis intima nuda verit pœnitens, ipsi exponet Confessarius quid de hujus statu sentiat. Deinde si quid reponendum habeat scrupulosus, eum benigne audiat, ita ut fateri cogatur suam conscientiam non minus Confessario, quam sibi innotescere. Ea quippe vulgò est scrupulosis persuasio, aliis se non satis compertos esse, ut ab iis consilium accipiant, quod tuto sequi possint. Cum singulas pœnitentis anxietates sibi minutatim exponi ab initio finit Confessarius, id sibi juris acquirit, ut ei deinceps non permittat ad se frequentius ventitare; si enim pœnitenti licentiam daret ipsum adeundi, quoties novus suboritur scrupulus, quanta inde temporis jactura! quanta anxietatum feques!

2º. Scrupulosum præsertim admonebit potissimum suæ ægritudinis remedium, in obedientia positum esse: quam nisi spondeat, dimittendus erit, quasi morbo insanabili affectus. Hæc animi docilitate quantum opus habeat istis rationibus suaderi poterit, 1º. quia sic jubet Scriptura: *Ne innitaris prudentiæ tuæ; . . . ne sis sapiens apud te ipsum.* (*Proverb. cap. 3. v. 5. & 7.*) Quæ verba ad scrupulosos maxime pertinent. Cum enim mentem habeant anxietatibus perturbatam, non suo, sed alieno judicio stare debent; 2º. quia suam opinionem aliorum judicio anteponere, super-

bientis est animi. Si tandem eum reperiat indocilem & pertinacem, cum eo paulò durius agendum erit, ut obtemperare discat: quin etiam aliquando expedit, ut ipsi differatur Sacramento rum usus. Ex illa enim severitate longè magis quàm ex verbis intelliget, quantum periculi in ipsius contumacia inesse iudicet Confessarius.

3^o. Cum pœnitente non agat Confessarius, quasi dubitando & hæsitando. Si enim ipsum videat incertum & ancipitem, suis in scrupulis firmabitur, & crescent animi terrores. Confidenter igitur, & quasi nihil dubitans, pœnitentem alloquatur, postquam scrupulorum causas & naturam introspexerit, & à *Patre luminum* postulaverit ut ipsi consilia suggerat & remedia quibus erga ægrum animi uti debeat.

4^o. Pœnitentem hortabitur ut assiduis precibus divinam opem cum fiducia imploret. Quando enim anxietatum fluctibus exagitur crudeliùs; ad Deum, potiùs quàm ad Confessarium debet confugere, ægrique animi sanationem ab oratione magis quàm à confessione expectare. Admonendus est ut Deum non sibi signat quasi tyrannum iratum vel exactorem durissimum; sed eum habeat veluti patrem benignissimum, qui in veniam proclivior est, quàm in vindictam; cui ex intimo dilectionis affectu, potiùs quàm ex metu servili obtemperandum est.

5^o. Pœnitenti Confessarius præcipiat, ut de suis scrupulis non sit nimium sollicitus, & cum iis non luctetur diutiùs; sed eos statim ab ortu, & nascentes opprimat, animum à cogitationibus quæ illos provocare solent removendo, aliisque rebus applicando. Experiencià quippè constat longè faciliùs superari scrupulos, quando contemnuntur, quàm ubi dedita operâ cum iis pugnatur. Quemadmodùm enim hydropici, dum potui indulgent, sitim incendunt, nedùm restinguant; ita scrupulosi vanis conscientie terroribus eò crudeliùs

vexantur, quò magis ad eos animum intendunt.

6^o. Scrupulos imperandum est, ut suis accuratè fungantur officiis, & sedulo labori incumbant. In occupatione enim maximum est adversus scrupulos præsidium; eos quippè fovet & accersit otium, dum imaginationi occasionem præbet, in varias cogitationes periculosas discurrendi. Manualis præsertim labor, quando plurimum defatigat, scrupulos sæpè remedium est efficacius, quàm cetera ipsis dantur consilia.

Quænam sint scrupulorum causæ, quæ remedia iis adhibenda, solidè & eleganter expositum reperies apud *Clarissimum Duguet*, in opere cui titulus: *Traité des Scrupules*.

PARAGRAPHUS II.

De Conscientia dubia.

Tutissimam regulam cui firmiter adhærere debeat, qui conscientiam habet dubiam, aperiet sequens.

PROPOSITIO.

Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas; quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

Probatur prima pars. Non licet peccandi periculo sese objicere: atqui huic periculo sese exponit qui in dubio, citra ullam necessitatem, agit. Ille enim peccandi discrimen adit, qui agit temerè nullamque habet certam regulam, quâ deprehendere possit utrùm justum sit, an injustum quod operatur: atqui ita se habet qui in dubiis sine ulla necessitate agit; ergo peccandi periculo sese ultrò exponit; ergo, &c. Hinc S. Thomas: *Si ille, inquit, qui plures Præbendas habet, in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, &*

sic se, manente dubitatione, plures Præbendas habet, periculo se committit & sic procul dubio peccat, ut potè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. (Quodlib. 8. art. 13.) Eamdem regulam tradunt ipsimet Philofophi Ethnici: Bene præcipiunt, inquit Tullius, qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum. (Lib. 11. Offic.)

Prob. secunda pars, 1^o. ex Scripturis quæ præcipiunt, ut vitemus periculum: Qui amat vitium, in illo peribit; (Eccli. 3. v. 17.) 2^o. ut peccatum fugiamus quasi à facie colubri; (Ibid. cap. 21. v. 2.) 3^o. ut peccatum reputemus omne quod non est ex fide, id est, quidquid non sit ex intima persuasione, quod licitum sit; 4^o. ut ab omni specie malæ abstineamus. (1. Theffal. 5. v. 22.) Atqui ubi aliquis in dubio partem minùs tutam eligit, ille profectò nec periculum & peccatum fugit, nec rem licitam esse persuasum habet, nec abstinere ab omni specie mala, ut satis patet; ergo si in dubiis urgeat agendi necessitas, pars tutior eligenda est. Hinc S. Augustinus: Graviter peccaret. (homo) in rebus ad salutem animæ pertinentibus, eo solo quòd certis incerta præponeret. (Lib. 1. de Bapt. cap. 3. n. 4. tom. 9. pag. 82.) Hinc etiam S. Antoninus: In iis quæ concernunt forum conscientiæ, in dubio via tutior est eligenda. (Part. 3. tit. 5. cap. 2. sect. 9.) Hinc tandem celeberrimus Gerson: Agere incertum, & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale. (Reg. 8. tom. 3. part. 1. edit. ultim. pag. 79.)

Prob. 2^o. ratione. Ad licitè hic & nunc operandum, requiritur ut prudenter judicemus nos minimè esse peccaturos: atqui cum dubitans eam partem sequitur quam minùs tutam existimat, non potest prudenter judicare nihil esse peccati pertimescendum: imò longè magis sibi conscius est se peccaturum, ut res ipsa clamat; ergo, &c.

Præterea non minùs cautè sese gerere debet homo, in iis quæ ad salutem æternam pertinent, quàm in rebus temporalibus: atqui ubi agitur de rebus temporalibus, imprudens & malefanus habetur, qui in dubio partem minùs tutam eligeret, dum tutiorem amplecti potest; qui, v. g. escam lumeret quæ an veneno infecta esset dubitaret, dum alia sibi præstò esset, quam certò novit veneni expertem; ergo longè magis temerè & stultè agere, ac proindè peccare censendus est, quisquis in salutis æternæ negotio partem minùs tutam amplectitur.

Solvuntur objeãa.

Objicies 1^o. Si in dubiis pars tutior esset eligenda, aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullâ lege prohibitis; siquidem sæpè dubitamus utrum actus sit licitus, quem tamen nulla lex prohibet: atqui nemo tenetur ab iis actionibus abstinere, quæ nullâ lege prohibentur; ergo in dubiis minimè necesse est partem eligere tutiorem.

Resp. 1^o. Retorqueo argumentum: Si in dubiis liceret partem minùs tutam sequi, non teneremur à plurimis actionibus abstinere, quas vetat divina lex. Sæpè enim ancipites & incerti sumus, utrum actus sit licitus, necne, qui reverà prohibetur lege divinâ: atqui tamen absurdè diceretur non abstinendum esse ab iis actionibus quas divina lex interdicit: ergo in dubiis nunquam licet partem minùs tutam amplecti.

Resp. 2^o. Dist. maj. Aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullâ lege eas spectante prohibitis, conc. maj. nullâ lege ipsum dubitantem spectante, neg. maj. dist. pariter min. Atqui nemo tenetur abstinere ab actionibus, nullâ lege tum eas actiones, tum ipsum dubitantem spectante prohibitis, conc. min. nemo tenetur abstinere

ab actionibus nullâ lege quæ ipsas spectet prohibitis, neg. min.

Fateor equidem nullam nobis incumbere obligationem ab iis actibus abstinendi, qui nullâ lege, sive ad eos actus, sive ad ipsum dubitantem pertinente, prohibentur; sed tenemur in dubiis quasdam actiones omittere, quamvis nullâ lege eas afficiente prohibeantur; tenemur, inquam, vi legis quæ in ipsum dubitantem cadit. Hæc autem lex quam recta ratio, quam Religio imponit, ita se habet: nihil agendum est quod dubites justum sit, an injustum.

Obj. 2^o. Non magis tenemur obtemperare legi, cum dubitamus an obliget, quam fide assentiri dogmati de quo dubitatur an revelatum sit: atqui non tenemur ad posterius; ergo neque ad prius.

Resp. Neg. maj. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia ubi aliquis fide credit dogma de quo dubitat an relevatum sit, in erroris periculum sese conjicit, quod effugere, quantum potest, quisque debet. Contra verò qui dubitans utrum lex divina aliquid prohibeat, ab eo tamen abstinet, nullum subit peccandi periculum: quinimò magnum adiutus esset peccandi discrimen, si illud ageret quod non sine probabilibus argumentis ipsi videtur à Deo prohibitum.

Obj. 3^o. Lex dubia non potest certam parere obligationem; ergo cum dubitatur utrum lex aliquid prohibeat, non tenemur ab eo abstinere.

Resp. Dist. conseq. Non tenemur ab eo abstinere vi legis dubiæ, conc. vi legis naturalis quæ vetat ne quis peccandi periculo sese exponat, neg. conseq.

Quando enim dubitamus an hæc vel illa lex obliget, nihil tamen dubitationis est, utrum debeamus eam partem amplecti, quæ magis à peccato removet. Itaque, cum incertum est an quædam actio prohibita sit, non tenemur ab ea abstinere vi legis, quæ dubia est; sed vi legis naturalis,

quæ omnino certa est; & vetat ne in cognitum peccandi periculum incurramus.

Obj. 4^o. Si pars tutior semper eligenda esset, omnes teneremur in eremum secedere, vel Monasterium ingredi, quia illud vitæ genus tutius est minusque periculosum: atqui hoc falsum est; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Nam illud vitæ genus cuique magis tutum est ac minus periculosum, ad quod à Deo fuit destinatus, factusque idoneus: atqui Deus alios destinavit ad vitam cælibem, alios ad conjugalem, alios ad solitudinem; quemadmodum ergo singula corporis humani membra non eodem funguntur officio, sed distinctis ministeriis serviunt, ut observat Apostolus: ita singuli homines eam vivendi formam profiteri debent, ad quam à Deo vocati sunt: alii enim in sæculo depravantur, qui potuissent, ut ait Augustinus, *in solitudine deificari*; alii in Monasteriis malè vivunt, qui potuissent in sæculo piam sanctamque vitam agere. Ita Autor anonymus Institutionum philosophicarum, an. 1761, Tom. 3. pag. 183.

Obj. 5^o. In iis quæ ad moralem disciplinam pertinent, recentiores Theologi veteribus sunt anteposendi: omnia enim hodiè diligentius excussa sunt: atqui plures Theologi recentiores docent in dubiis eligi posse partem minus tutam; ergo iis adhærendum est.

Resp. Neg. maj. Ut enim fidei, ita & moralis doctrina ad salutem necessaria, à Spiritu Sancto fuit Apostolis tradita, & in eorum persona toti Ecclesiæ: ita scilicet iis promiserat Christus: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (Joan. 16. 13.) Quò propius igitur ad primævum illum totius veritatis fontem acceditur, eò magis pura & sincera fuit doctrina moralis; nedum ergo recentiores Theologi in hac parte sint veteribus anteposendi, imò non admittendæ sunt eorum opiniones, nisi cum Veterum

doctrina planè consentiant. Infixum animo hæreat illud Scripturæ monitum : *Non te prætereant narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à patribus suis ; quoniam ab ipsis disces intellectum , & in tempore necessitatis dare responsum.* (Eccli. 8. v. 11. & 12.)

Hinc à Clero Gallicano damnata est an. 1700 hæc propositio : *Puto omnia hodie melius esse examinata , & hanc ob rem in omni materia , & præcipue in morali , libentiùs juniores , quàm antiquiores lego & sequor : doctrina fidei à veteribus , doctrina morum magis à junioribus petenda est.* (*Mém. du Clerg. Edit. 1716. tom. 1. pag. 739.*)

PARAGRAPHUS III.

De Conscientia , sive opinione probabili.

Opinio probabilis , prout à Recentioribus definitur , est ea quæ , quamvis non omnino certa , atamen vel gravi autoritate , vel non modici momenti ratione nititur. Hinc ab iis duplex distinguitur probabilitas , alia *intrinseca* quæ nititur argumentis à ratione , vel Scriptura , vel Traditione deductis ; alia *extrinseca* quæ ex Doctorum vel testium autoritate repetitur.

Ex præfata definitione patet à Recentioribus duo requiri , ut aliqua propositio dicatur probabilis , Primum ut neque de ejus veritate , neque de falsitate prorsus constet : alioqui non merè probabilis , sed vel certò vera , vel certò falsa diceretur. Unde liquet sententiam quamlibet probabilem esse incertam , ac proinde dubiam. Secundum , ut nitatur gravi autoritate , vel ratione non levis momenti : quæ tamen autoritas vel ratio , ejusmodi tantum esse debet , ut sententiam aliquam faciat probabilem , non verò certam ; alioqui jam non probabilis appellaretur , sed certa.

Ad planiorem eorum quæ dicturi sumus intelligentiam , quædam sunt prænotanda. 1º. Opinio dicitur

dicitur *favere legi* , cum affirmant rem aliquam lege prohiberi vel præcipi ; dicitur autem *favere libertati & cupiditati* , quando asserit hanc vel illam actionem nullà lege vetitam esse aut imperatam. 2º. Opinio *tutior* appellatur , cum à violandæ legis periculo magis removet , quàm opposita. 3º. Opinio in conflictu alterius dicitur *probabilior* vel *minus probabilis* , prout ratione & autoritate oppositam vincit , aut ab ea vincitur : si verò ambæ paribus rationum momentis sese librent , tunc vocantur *æquè probabiles*.

4º. *Probabilistæ* nuncupantur recentiores quidam Theologi , qui probabilitatem ut certam tutamque morum regulam intrudunt. Hæc sunt ea de re præcipua ipsorum placita : 1º. Opinionem quamlibet probabilem sequi ita licitum est , ut qui ex ea vitam suam dirigit , non modo securus sit , sed etiam felicitatem æternam assecuturus , & *rectè tendat ad superos* , inquit *Escobar*. 2º. In opinionum delectu , minus probabilis simul & minus ruta , tutiori & probabiliori potest anteferri. 3º. Probabilis fit opinio quæ innititur vel ratione , vel autoritate ; nec opus est ista duo simul jungi , at satis est ut alterutrum adfit. 4º. Ea opinio est verè probabilis quam vel unius Doctoris gravis firmaverit autoritas : *Potest quis* , ait Emmanuel Sa in Aphorismis , *facere quod probabili ratione vel autoritate putat licere , etiamsi oppositum tutius sit : sufficit autem opinio alicujus gravis auctoris.* — *Licitum est* , inquit Filiucius , *sequi opinionem minus probabilem , etiamsi minus ruta sit : est communis Recentiorum sententia.* (*Tract. 21. cap. 4. n. 128.*)

Incredibile est quantam in Theologia morali stragem ediderint nova hæc dogmata , quæ omnibus flagitiis viam aperiunt latissimam : ad ea penitus convellenda , sit.

PROPOSITIO I.

Non licet sequi opinionem minus probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris quæ legi favet.

Probatur 1^o. ex Scriptura. Non licet homini in peccandi periculum sese ultro conijcere: *Qui enim amat periculum, in illo peribit. (Eccli. 21. 17.)* Atqui peccandi periculo manifestè sese exponit, qui opinionem minus probabilem quæ favet libertati sequitur, in concursu alterius probabilioris quæ stat pro lege. Nam locus est timendi ne legem infringat, si fortè existat: atqui in casu de quo agitur probabilius est legem existere, & obligare: siquidem in eam partem inclinant gravioris momenti argumenta; ergo, &c.

Præterea apud Lucam sic præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. (cap. 10. v. 27.)* Unde patet Deum esse præ omnibus diligendum: atqui Deum non ita profectò diligit, qui sententiam minus probabilem, libertati cupiditatieque blandientem amplectitur, dum alia probabilior in gratiam legis occurrit: tunc enim id facit vel omittit, ex quo Deum graviter esse offendendum judicat, & quidem probabilius.

Denique sic jubet Apostolus: *Quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos. (1. Theff. 5. v. 21. & 22.)* Atqui ubi aliquis opinionem minus probabilem quæ favet libertati sequitur, neglecta probabiliori quæ stat pro lege: 1^o. non tenet quod bonum est, cum sciens & volens eligat quod ipsi malum videtur potius quam bonum; 2^o. non abstinere ab omni specie mala, siquidem eam amplectitur partem quam malam esse probabilius existimat.

Prob. 2^o ex SS. Augustino & Thoma, ut alios Patres in ea re consentientes omittamus. S. Au-

gustinus docet *vigiliis continuis excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat, ... ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur. (Lib. 22. de civit. Dei, cap. 23. tom. 7. pag. 687.)* Atqui ineptè prorsus exigit S. Doctor, ut vigiliis continuis excubemus, ne opinio verisimilis fallat, si liceat opinionem, etiam minus probabilem, anteponeere probabiliori quæ favet legi.

S. Thomas expendens an licitum sit plures Præbendas possidere, ait *id periculosè determinari, ... quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire. (Quodlib. 9. art. 15.)* Atqui si liceat opinionem minus probabilem anteponeere probabiliori quæ legi favet, nullum erit in dirimenda illa quæstione periculum propter diversas Doctorum opiniones: poterit enim quisque eam quæ sibi magis arriserit, sine ullo peccandi periculo eligere.

Prob. 3^o. rationibus theologicis: 1^o. Nunquam licet agere contra conscientiam, ut jam probatum fuit: atqui contra conscientiam suam agit, qui opinionem minus probabilem præ aliâ sequitur quæ probabilior est, & quæ pro lege militat; siquidem ita pronuntiat ipsius conscientia: *Probabilius est ac verisimilius actionem hanc esse malam & lege prohibitam; ergo, &c.*

2^o. Non licet imprudenter & temerè agere: atqui imprudenter sese gerit qui sententiam minus probabilem eligit, posthabita probabiliori quæ favet legi: ut enim prudenter quisque agat, moralem habeat necesse est de honestate suæ actionis certitudinem: atqui eâ prorsus caret qui opinionem minus probabilem amplectitur, sperata probabiliori quæ pugnat pro lege: siquidem, eo ipso iudice, quod agit potius illicitum est, quam licitum; ergo, &c.

3^o. Novitas doctrinæ in iis quæ ad fidem & mores pertinent, falsitatis notam præ se fert manifestissimam: atqui novella est sententia quæ docet

licitum esse opinionem sequi minus probabilem; contemptâ probabiliori: *Quodd in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi probabiliorem eligendam judicamus*, inquit Clerus Gallicanus in Comitibus an. 1700., hoc novum, hoc inauditum. (*Mém. du Clerg. tom. I. pag. 742. Edit. de 1716.*) Miserrima igitur Patrum tempora, quibus Deus tantum arcanum invidit quo nihil commodius, nihil ad evellendos scrupulos aptius, nihil ad complanandam salutis viam expeditius.

PROPOSITIO II.

Non licet sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, præ altera æquè probabili quæ stat pro lege.

Prob. Qui animum habet duabus oppositisque opinionibus æquè probabilibus distractum, is verè proprièque dubitat; siquidem non potest hanc, potius quàm illam opinionem veram judicare, sed inter utriusque veritatem & falsitatem suspensus fluctuat. Hinc si quis ab homine in hoc statu constituto quæsierit, utra sententia vera sit, ingenuè fatebitur se nescire, incertum esse, dubitare; tenerur ergo vulgari illâ lege, quâ jubemur in dubiis partem tutiorem consecrari: atqui partem tutiorem non sequeretur, si opinionem quæ favet libertati eligeret, neglectâ alterâ æquè probabili quæ stat pro lege. Posteriorem enim hanc sententiam amplectendo, in nullum violandæ legis divinæ periculum incurreret; huic autem periculo sese objiceret, si alteram opinionem sequeretur, ut per se manifestum est; ergo, &c.

Hinc Clerus Gallicanus, in Comitibus an. 1700., inter alias regulas, istam ordine primam statuit: *In dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod in hoc casu unice tutum est;*

neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. (ubi suprâ.)

COROLLARIUM.

Ergo Probabilistarum doctrina non potest esse morum regula: in eo quippè sita est, ut semper liceat opinionem probabilem, id est, à quibusdam Casuistis approbatam sequi, etiam in conflictu alterius quæ probabilior sit, & cum lege magis consentiens: atqui horrendam hanc doctrinam, quasi tutam morum regulam, proponere grande sit nefas: quantum enim à Scripturis, à Patribus, à ratione sit aliena demonstravimus. Eâ semel admisâ, nullum erit flagitium quod licitum & innoxium non evadat: ex hoc scilicet fonte manarunt tot Casuistarum decreta, quæ populi christiani pietas tam justâ detestatione insecta est, & quæ sacra Episcoporum autoritas tam merito anathemate profligavit, ut potè quæ calumniam, cædes, abortiones, furta, usuras, &c. permittunt.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1^o. Qui ex duabus opinionibus minus probabilem sequitur, dubitat quidem *speculativè* utra sit vera, sed non dubitat *practicè*; quia certò novit tutè agere, qui opinionem probabilem sequitur, ergo hic locum non habet hoc effatum: *In dubio pars tutior est eligenda.*

Resp. Neg. ant Quia dubium *speculativum* necessaria in conjunctum est cum dubio *practico*. Quando enim dubitamus verane sit aliqua opinio, an falsa, eo ipso dubitamus an liceat eam sequi. Quæ duo simul devincta sunt & colligata, ut vel leviter attendenti satis patet.

Obj. 2^o. Opinio minus probabilis in concursu probabilioris remanet verè probabilis; ergo licet eam sequi.

Resp. Neg. ant. Nam *probabile*, ait Cardinalis Iurea, *idem importat ac dignum ut approbetur.* (In 3. sent. disput. II. art. 4. sect. 281.) Atqui opinio minus probabilis in conflictu probabilioris, minime digna est quæ assensum & approbationem obtineat; siquidem prævalent rationum momenta quibus nititur opposita sententia. Quinimò non potest animus opinionem minus probabilem non improbare; siquidem eam falsam potius quam veram iudicat.

Inst. Si Petrus doctior sit Joanne, numquid idcirco Joannes non erit doctus? ergo pariter ex eo quòd opinio sit probabilior altera, minime sequitur alteram hanc non esse verè probabilem.

Resp. Neg. conseq. & pariat ratio disparitatis est, quia inter majorem unius hominis & minorem alterius scientiam nulla est vera oppositio; ac proinde mirum non est, quòd altera alteram non destruat: contra verò duæ opiniones quarum alia probabilior est, favetque legi, alia autem minus probabilis, & favet libertati, ita contradictoriè opponuntur, ut veritas unius falsitatem alterius necessariò importet, quales sunt istæ: *Hic contractus est licitus; hic idem contractus non est licitus*, idcirco major probabilitas unius minorem probabilitatem alterius prorsus elidit.

Obj. 3^o. Subditi licitè possunt, imò debent Superioribus obedire: atqui non rarò contingit ut Superior id præcipiat faciendum, tanquam probabile, quod inferior censet minus probabile; ergo potest in hac hypothese subditus, imò debet opinionem minus probabilem sequi.

Resp. Dist. maj. Subditi debent Superioribus obedire in iis quæ legi divinæ sunt consentanea, vel talia probabilius sibi videntur, conc. in iis quæ legi divinæ sunt contraria, vel hujusmodi esse probabilius existimant subditi, neg. maj.

Itaque quod jubet Superior, si cum lege divina manifestè consentiat, tunc parere debet subditus;

si legi divinæ apertè contrarium sit, tunc debet fortiter resistere, nedum obtemperare teneatur; ubi verò probabilius censet subditus præceptum Superioris cum lege divina pugnare, tunc non potest citra culpam jussu exequi, quia contra propriam conscientiam agere convincitur, quod nunquam licitum est.

Obj. 4^o. Opinio non est probabilis, nisi cum manifestæ rationi, Scripturæ sacræ, & Traditioni non adversatur: atqui licitum est opinionem sequi quæ nec manifestæ rationi, nec Scripturæ sacræ, nec Traditioni adversatur; ergo semper licet opinionem quamlibet probabilem sequi.

Resp. Neg. maj. Hic enim agitur de opinione probabili, qualis intelligitur à *Probabilistis* quos aggredimur: atqui passim docent opinionem verè probabilitate donari, si quorundam Doctorum, imò & unius autoritate muniatur. *Aliquando*, inquit Escobar, *unus tantum Doctor gravis admodum opinionem improbabilem potest efficere.* (Proximum Theolog. moral. exam. 3. de conscientia, cap. 3. n. 8.) *Sed dubitabis*, ait Sanctius, *an autoritas unius Doctoris reddat opinionem probabilem; respondetur reddere.* (Summ. lib. I. cap. 9. n. 7.) Quasi verò libri quàmplurimi doctorum hominum erroribus non scateant, quasi quidpiam aliud sint hæreses, quàm falsæ opiniones ab eruditis invecæ!

Fucum igitur imperitis facere volunt Casuistæ, quando simulant ad opinionem probabilem se requirere, ut neque à Scriptura, neque à Concilio- rum & Patrum decretis dissideat. Hanc enim conditionem sibi incommodam passim retrahunt & ablegant, idque verè probabile esse decernunt, quod vel ab uno, vel à paucis Doctoribus, nempe Casuistis, propugnatum fuerit. Si verò hujusmodi opinionem rationi, Scripturæ & Traditioni contrariam demonstraveris, non idèò suam amittet probabilitatem, *quia debet quisque sibi persuadere,*

inquit Escobar, *has rationes quas ipse insolubiles existimat, ab alio solvi posse, nec ob illas, aliorum opiniones tanquam improbables rejicere fas sit.*

PROPOSITIO III.

In materia juri naturali sub eâ non licet sequi opinionem probabiliorem, ratiâ tutiore, minus probabili.

Prob. 1^o. ex Scriptura quæ ita monet: *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* (Proverb. 14. 12.) Atqui hæc via quæ videtur homini justa, ea procul dubio est, quam probabiliorem judicat; quis enim sapiens justam putet opinionem, nisi eam majori probabilitate munitam existimet? Ergo qui opinionem probabiliorem sequitur, neglectâ tutiore quæ scilicet favet legi, in mortis periculum incurrit.

In ista Scripturæ verba sic notat Gregorius Magnus: *Sapè ... opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sapè unde placari iudex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, ... unde sancti viri ... sua etiam benè gesta formidant; ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.* (Lib. 5. Moral. cap. 7. 11. 12. Tom. 1. pag. 143. edit. BB.) Nèdum igitur conscientie securitatem pariat major probabilitas, peccat divinamque iram concitat, qui illud agit quod boni speciem præ se fert, nisi actio cum lege divina conferat; quomodo igitur extra culpam erit qui non ignorat opinionem quæ sibi probabilior videtur, minus tutam esse?

Prob. 2^o. ex Augustino qui principium istud statuit: *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat.* (Epist. 47. n. 4 tom. 2. pag. 112.) Hic generatim pronuntiat S. Doctor peccare hominem qui rem ex

se malam agit, licet eam bonam esse existimet, culpâ igitur non vacat qui illicitum aliquid facit, quod licitum esse probabilius opinatur.

Prob. 3^o. ex S. Thoma qui semel tradit à peccato non excusare juris naturalis ignorantiam, nisi invincibilis sit, hujusmodi verò in iis tantum esse qui rationis usum penitus amiserunt. *Ignorantia juris, inquit, non excusat à peccato, ni fortè sit ignorantia invincibilis, sicut est in furiosis & amensibus, quæ omnimò excusat.* (Quodlibet. 3. quæst. 12. art. 27. ad 2.) Porro si à peccato non liberet ignorantia in iis quæ contra jus naturale sunt, sequitur non licitum esse in materia legi naturali subjecta, probabiliorem amplecti opinionem, posthabitâ minus probabili, sed magis tutâ.

Prob. 4^o. isto vulgari effato: *In dubiis pars tutior est eligenda:* hæc enim regula non pertinet tantum ad casus in quibus pares sunt utrinque probabilitates, verum etiam ad eos omnes in quibus probabilitas, quamvis major, ad certitudinem moralem non perducitur, neque omnem ex animo dubitationem excludit. Quo sensu prædictum axioma suis in decretis adhibent Summi Pontifices.

Clementi III, v. g. propositum fuit istud cujusdam Sacerdotis factum: *Ut culpam ab adolescente commissam puniret, cum suo cingulo (ceinture) percussit.* Culter verò huic zonæ illigatus, è vagina sua elapsus adolescentem à tergo faucia vit. Aliquantò post integram hujus vulneris sanationem, juvenis in morbum incidit & obiit. Cum aliqua, licet satis vana, superesset dubitatio tutrum plaga prius recepta, hujus adolescentis morti occasionem præbuisset, consultus fuit Summus Pontifex quid de illo Sacerdote sentiret. In ipsius responsum: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, injunctâ tamen penitentia congruente.* (Lib. 5. decret. tit. 12. cap. 12.) Plurima hujusmodi judicia in

corpore juris occurrunt. Porrò longè probabilis erat plagam adolescenti fortuitò infligam ad ipsius mortem nihil contulisse; hæc igitur fuit Romani Pontificis mens, ut opinioni probabiliori anteferri debeat opposita, quamvis minus probabilis, quando tutior est.

Et verò cur in dubiis non licèt partem minùs tutam amplecti? nonne quia in peccandi discrimen sese conjicit qui ita se gerit? atqui idem periculum sibi adjunctum habet opinio magis quidem probabilis, sed minùs tuta. Probabilitas enim quotiès moralem certitudinem non parit, totiès aliquam in mente dubitationem relinquit.

Prob. 5^o. Non minus diligentia in salutis quàm in valetudinis negotio est adhibendum: atqui ubi agitur de valetudine, nemo prudens opinionem probabiliorẽ sequitur, dimissa tutiore. Exempli gratia, tibi offerantur centum pocula, ex quibus unum duntaxat veneno sit infectum; si unum præ ceteris assumes, longè probabilis est fore ut venenatum non haurias: atqui tamen secundum humanæ prudentiæ regulas in insaniam notam incurres, nisi ab omnibus poculis absterneas; quantò magis igitur in his quæ ad salutem pertinent, opinioni probabiliori anteponenda est minus probabilis, sed tutior?

Ea de re tum veteres Scholasticos, tum recentiores & insignioris notæ Theologos consentire patet ex testimoniis quæ recensuit doctissimus Henricus de S. Ignatio, in opere erudito cui titulus: *Ethica amoris.* (Lib. 2. cap. 81. & seq.)

C O R O L L A R I U M.

Huic igitur regulæ standum est, quam Bellarminus Cardinalis in sua ad Nepotem Epistola his verbis commendat: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò dedet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore*

dicant aut faciant; & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minùs tutam declinare: agitur enim de summa re, cum de salute æterna tractatur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. S. Thomæ locum ubi expendit an duorum vel trium testimonium ad sententiam ferendam sufficiat. Partem tenet affirmantem, istamque rationem affert: *Certitudo non est quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, & exigantur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia & variabilia; & idèd sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile quòd magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum unius: & idèd cum reus sit unus qui negat, sed multi testes asserant idem cum actore, rationabiliter institutum est jure divino & humano, quòd dicto testium stet.* (2. 2. q. 70. art. 2. in corp.)

Inde concludunt adversarii; juxta S. Thomam, licitum esse opinionem probabiliorẽ sequi, quamvis minùs tutam; alioqui non *sufficeret probabilis certitudo, quæ aliquandò à veritate defleat.*

Resp. consecutionem hanc S. Thomæ perperam affingi, 1^o. quia eo in loco non agitur de probabilitate quæ alteri sit opposita. Factum enim à multis testibus asserti supponitur, dum nullus ipsum negat, nocentis quippè testimonium pro nihilo reputari debet, cum factum inficiari ipsius magnopere interfit. 2^o. In casu de quo differit S. Doctor, major securitas petenda est ex parte societatis, cujus incolumitas postulat ut coerceantur qui ipsius tranquillitatem perturbant. In gratiam igitur

Judicis sententiam erentis simul concurrunt & major securitas, & major probabilitas.

3^o. Apud S. Thomam de facto potius agitur, quàm de jure. In stabilienda autem facti alicujus veritate prævalere debet major probabilitas, ut omnes contententur. Id verò nihil affinitatis habet cum præsentis quæstione, utrum nempe liceat in materia juri naturali subjectâ probabiliorem sequi opinionem, posthabitâ minùs probabili, sed magis tutâ.

Obj. 2^o. Sic habet Clarissimus Gerson: *Si quis opposuerit quod dubitans de aliquo, an sit illicitum &, stante dubio, illud agens peccat, quia se discrimini scienter objicit; respondeo regulam hanc... intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens: & magis aut. saltem æquè inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum, sicut quod est licitum. Secùs est ubi mens plus inclinatur & judicat quod est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem & fixam, quia nec hoc ipsum requiritur; (Tract. de præparat. ad Missam, consider. 3. tom. 3. pag. 325. Edit. Dupin.)* ergo, judice Gerson, licet probabiliorem sequi opinionem præ opposita tutiore, sed minùs probabili.

Resp. Neg. conseq. genuinum Gersonii sensum velis assequi, animadvertendum est eum in superiori articulo statuere ad celebrandam Missam non requiri, ut aliquis se in gratiæ justificantis statu constitutum esse noverit certitudine evidenti, quæ obtineri non posset, nisi ex speciali revelatione; at sufficere certitudinem moralem: *Sufficit certitudo talis, qualem in materia morali consuevimus expectare & capere; quæ certitudo potest appellari certitudo moralis: (Ibid. consider. 2.)* neque necesse est ejusmodi certitudine tollatur omnis scrupulus aut dubitatio de peccato mortali, sed si scrupuli, hæc dubitatio nullo nituntur fundamento, neque ex probabilitate opposita nascuntur; at vana sunt

nanis formidinis signa, ut statim post objecta verba declarat ipse Gerson: *Sunt itaque nonnulli & plures, qui fortis sunt phantasiæ, qui præterea sæpè trepidant timore, ubi judicant etiam non esse timendam. (ibid. considerat. 3.)* Requirit ergo Gerson certitudinem moralem, quæ tamen leviusculos quosdam & inanes scrupulos non semper excludat; quis autem negaverit ad licitè agendum sufficere certitudinem moralem?

Obj. 3^o. Pugnât nostra sententia, 1^o. cum Cleri Gallicani declaratione an. 1700, cujus ista sunt verba: *Absit verò ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; 2^o. cum censura quæ eandem propositionem confixit Alexander VIII. Ergo, &c.*

Resp. Neg. ant. Id enim unum asserimus, nempe in iis quæ ad jus naturale pertinent, non licitum esse opinionem probabiliorem sequi in concursu alterius oppositæ, minùs quidem probabils, sed tutioris; quia pro lege militat. Damnata verò propositio enuntiat nunquam fas esse opinionem amplecti probabiliorem, quod falsum est. Nonnulli quippè sunt casus in quibus id licet; v. g. nonne Episcopo sufficit ratio probabilissima, ut aliquem à lege jejunii eximat? nonne debet inferior superiori parere in rebus quæ ex natura sua non sunt malæ, quando id quod præcipitur secundum opinionem probabiliorem licitum est? Ergo censura istius propositionis, *non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*, ad nostram thesim nihil pertinet.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conscientia generatim sumpta.

Conscientia est intimum animi iudicium, de actionis peculiaris bonitate aut pravitate pronuntiantis, & quid in his vel illis circumstantiis agendum omittendumve sit, aut quid fieri vel omitti debuisset dicentis. Conscientia enim non versatur tantum circa faciendam, sed etiam circa facta, vel ea approbando, sicut in Apostolo: *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientia nostra*; (2. Cor. I. 12.) vel ea redarguendo, qualis est conscientia damnatorum in inferno, *ubi vermis eorum non moritur*. (Marc. 9. 43.)

His præmissis, quæritur an conscientia sit morum regula, ita certa & incorrupta, ut malum sit quidquid contra eam agitur, bonum verò quidquid, eâ dicente, geritur.

PROPOSITIO.

Quidquid fit contra conscientiam peccatum est; quidquid autem, eâ dicente, geritur, non semper bonum est.

Probatur prima pars ex Apostolo qui ita pronuntiat: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. (Rom. 14. 23.) Atqui hæc Apostoli verba significant peccatum esse quidquid sit contra conscientiam: ibi enim de iis agit qui cibos quosdam prohibitos esse judicantes, ipsis tamen vesciebantur. *Quæ autem discernit (cibos licitos à vetitis) si manducaverit (cibum quem prohibitum credit), damnatus est, quia non ex fide*, id est, non ex conscientia iudicio agit: *omne autem quod non est ex fide, sive ex conscientia, peccatum est*.

Prob. 2^o. Quia voluntatem peccandi habet qui agit contra conscientiam. Quid est enim agere, reluctante conscientia, nisi vel aliquod facere quod prohibitum esse iudicamus, vel id omittere quod faciendum credimus? Atqui profectò voluntatem peccandi habet quisquis id agit quod vetitum putat, vel omittit quod faciendum existimat; ergo 1^o. quod fit contra conscientiam semper malum est.

Prob. secunda pars. Illud non semper bonum est, quod legi divinæ summæque rationi interdum adversatur: atqui quod, dicente conscientia, geritur, legi divinæ, &c. cum scilicet fit ex conscientia errante quæ suum potest errorem depellere. Nonne, v. g. contra legem divinam peccavit Apostolus, cum Ecclesiam Dei vexaret, & in ipsius excidium totis viribus, & approbante conscientia, niteretur? Nonne legem divinam violarunt qui Christi discipulos interficientes, obsequium se præstare Deo ex intima conscientia persuasionem iudicabant? Ergo 2^o non semper bonum est quod iuxta conscientiam agitur.

Solvuntur objecta.

Objicies 1^o. adversus primam propositionis partem. Conscientia errans non est morum regula; ergo quod fit contra conscientiam, non semper malum est.

Resp. Neg. conseq. Quod enim contra conscientiam errantem agitur, non idem malum dicimus, quia huiusmodi conscientia est morum regula. Illo quippè nomine prorsus indigna est, cum à lege divina dissentiat: cur ergo peccat qui, conscientia reluctante, agit? quia scilicet peccandi voluntatem habet, siquidem illud facit quod vetitum putat.

Obj. 2^o. Si quis peccet contra conscientiam errantem agendo, eam sequi tenebitur: atqui ridi-

culum est teneri aliquem conscientiam errantem sequi; ergo contra eandem agendo non peccat.

Resp. Neg. maj. Qui enim conscientiam habet errantem, nec contra eam agere, nec eam sequi debet. Sed inter utrumque illud extremum datur aliquid mediū. Tenetur scilicet errorem exuere, & falsum conscientiae iudicium emendare: quod ut assequatur, debet Deum orare, rem totam accuratè expendere, libros qui rem de qua agitur diligentè pertractant legere, pios doctosque viros consulere. Quibus adversus errorem remediis ita utendum est, ut si unum non sufficiat, ad alterum confugiatur.

Obj. 1^o. adversus secundam propositionis partem. Si quid agitur juxta conscientiam errantem, esset aliquando peccatum, qui hujusmodi conscientia laborat, necessariò peccaret: sive enim conscientiae iudicio obsequatur, sive ei resistat, haud dubiè peccabit: atqui nemo ex necessitate peccat, cum nullum sit peccatum quod vitari non possit; ergo quod agitur juxta conscientiam errantem, nunquam peccatum est.

Resp. Neg. maj. Licet enim homini conscientia errante laboranti undique sint angustiae, & certò peccaturus sit, quando in illo statu versabitur; ipsi tamen non incumbit vera proprièque dicta peccandi necessitas. Cum enim error conscientiae quo detinetur, ex hypothesi vincibilis sit, potest & debet eum deponere; v. g. qui ex conscientia errante credit proximo subveniendum esse per mendacium, quando stabit error ille, haud dubiè peccabit, sive mentiatur, sive non; sed non idcirco verà peccandi necessitate obstringitur, quia potest & debet errorem suum depellere, vel peritiores consulendo, vel rem maturiùs & diligentius introspicendo.

Obj. 2^o. Quod agitur contra conscientiam errantem, semper malum est; ergo è contrariò quod

agitur juxta eandem conscientiam, semper bonum est.

Resp. Nego consequ. Sicuti enim in dialecticis duae propositiones contrariae possunt esse simul falsa, quales sunt istae: *omnis homo est doctus, nullus homo est doctus*; ita & in moralibus duae contrariae possunt esse simul mala, qualia sunt agere contra conscientiam, & agere juxta conscientiam errantem: qui enim agit, reclamante conscientia, idipsum facit quod illicitum esse intimè animi persuasione iudicat, ac proinde vult & amat peccatum; qui verò conscientiam vincibiliter errantem sequitur, idèò peccat, quòd ex ignorantia quam depellere potest & debet, rem faciat à lege prohibitam.

Quæres quale sit illius peccatum qui contra conscientiam agit.

Resp. illud tale esse, quale à conscientia iudicatur; id est, venialiter aut mortaliter peccat, qui id agit quod velut peccatum veniale aut mortale denuntiat conscientia. Ratio est, quòd peccatum velit committere, quale esse dicit conscientia, idcirco peccati mortalis reus est qui modicam pecuniam furatur, intimè persuasus se ira agendo peccare mortaliter; imò lethalem culpam etiam committeret, si grandem summam subripiendo, se leviter peccare falsò iudicaret, quia errorem hunc corrigere potest.

ARTICULUS II.

De Conscientia divisionibus.

Conscientia dividitur 1^o. in veram seu rectam, quæ dicta licitum esset aut illicitum quod reipsa tale est; & in falsam sive errantem quæ licitum aut bonum iudicat: quod illicitum & malum est;

vel quæ illicitum aut malum pronuntiat: quod legi consentaneum est. Ubi conscientiæ error depelli potest, dicitur *vincibilis*; cum autem superari nequit, debitam adhibendo diligentiam, appellatur *invincibilis*. Ex iis autem quæ supra diximus satis liquet, nihil esse peccati in iis quæ fiunt juxta conscientiam, cujus error sive ignorantia est *invincibilis*, quia citra voluntatis consensum peraguntur; præterea conscientiam cujus error superari potest, à peccato non excusare.

2º. Conscientia dividitur in *latam* & *scrupulosam*. *Lata* dicitur ea quæ ex levibus tantum causis cupiditati faventibus, licitam esse actionem judicat; vel quæ pro levi peccato habet quod gravissimum existimari debet.

Conscientia *scrupulosa* quæ latæ opponitur, ea est quæ futilibus conjecturis & ratiunculis ducta, anxie & sollicitè timet ne mala sit actio. Sic appellatur quia, sicut scrupus sive lapillus asper pedem lædit, & gressum impedit; ita conscientia scrupulosa inquietam animi anxietatem parit, & obstat ne viam mandatorum Dei liberè & expedite decurrat, dum in ipso bono latentes mali quasi fibras suspicatur.

3º. Conscientia dividitur in *certam*, *dubiam* & *probabilem*. *Certa* est, cum prudenter & sine ulla rationabili errandi formidine, judicat aliquid licitum esse vel illicitum, bonum vel malum; *dubia* est, cum rationibus contrariis ita liberatur, ut ignoret utrum actio quæpiam licita sit, an illicita. Conscientia *probabilis* est judicium de actionis bonitate aut pravitate, iis nixum argumentis quæ verisimilia quidem videntur; sed quæ non sunt certa, nec errandi formidinem & periculum excludunt.

Cum verò de conscientia scrupulosa, dubia & probabili nonnulla sint quorum maxime utilis est cognitio, de triplici illo conscientiæ status speciatim disserendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Conscientia scrupulosa.

Quam agendi rationem in dirigendis scrupulosis sequi debeat prudens animarum moderator, hic raptim indicabimus.

1º. Diligenter explorare debet quibus ex causis nascantur scrupuli, ut aptum iis remedium afferre queat. Hanc notitiam ut assequatur, pœnitentis infirmitatem miserans, patientem illi aures accommodabit, donec inquietas animi molestias descripserit. Postquam cordis intima nuda-verit pœnitens, ipsi exponet Confessarius quid de hujus statu sentiat. Deinde si quid reponendum habeat scrupulosus, eum benigne audiat, ita ut fateri cogatur suam conscientiam non minus Confessario, quam sibi innotescere. Ea quippe vulgò est scrupulosis persuasio, aliis se non satis compertos esse, ut ab iis consilium accipiant, quod tuto sequi possint. Cum singulas pœnitentis anxietates sibi minutatim exponi ab initio finit Confessarius, id sibi juris acquirit, ut ei deinceps non permittat ad se frequentius ventitare; si enim pœnitenti licentiam daret ipsum adeundi, quoties novus suboritur scrupulus, quanta inde temporis jactura! quanta anxietatum feques!

2º. Scrupulosum præsertim admonebit potissimum suæ ægritudinis remedium, in obedientia positum esse: quam nisi spondeat, dimittendus erit, quasi morbo insanabili affectus. Hæc animi docilitate quantum opus habeat istis rationibus suaderi poterit, 1º. quia sic jubet Scriptura: *Ne innitaris prudentiæ tuæ; . . . ne sis sapiens apud te ipsum.* (Proverb. cap. 3. v. 5. & 7.) Quæ verba ad scrupulosos maxime pertinent. Cum enim mentem habeant anxietatibus perturbatam, non suo, sed alieno judicio stare debent; 2º. quia suam opinionem aliorum judicio anteponere, super-

bientis est animi. Si tandem eum reperiat indocilem & pertinacem, cum eo paulò durius agendum erit, ut obtemperare discat: quin etiam aliquando expedit, ut ipsi differatur Sacramentorum usus. Ex illa enim severitate longè magis quàm ex verbis intelliget, quantum periculi in ipsius contumacia inesse iudicet Confessarius.

3^o. Cum pœnitente non agat Confessarius, quasi dubitando & hæsitando. Si enim ipsum videat incertum & ancipitem, suis in scrupulis firmabitur, & crescent animi terrores. Confidenter igitur, & quasi nihil dubitans, pœnitentem alloquatur, postquam scrupulorum causas & naturam introspexerit, & à *Patre luminum* postulaverit ut ipsi consilia suggerat & remedia quibus erga ægrum animi uti debeat.

4^o. Pœnitentem hortabitur ut assiduis precibus divinam opem cum fiducia imploret. Quando enim anxietatum fluctibus exagitur crudeliùs; ad Deum, potiùs quàm ad Confessarium debet confugere, ægrique animi sanationem ab oratione magis quàm à confessione expectare. Admonendus est ut Deum non sibi signat quasi tyrannum iratum vel exactorem durissimum; sed eum habeat veluti patrem benignissimum, qui in veniam proclivior est, quàm in vindictam; cui ex intimo dilectionis affectu, potiùs quàm ex metu servili obtemperandum est.

5^o. Pœnitenti Confessarius præcipiat, ut de suis scrupulis non sit nimium sollicitus, & cum iis non luctetur diutiùs; sed eos statim ab ortu, & nascentes opprimat, animum à cogitationibus quæ illos provocare solent removendo, aliisque rebus applicando. Experiencià quippè constat longè faciliùs superari scrupulos, quando contemnuntur, quàm ubi dedita operâ cum iis pugnatur. Quemadmodùm enim hydropici, dum potiùs indulgent, sitim incendunt, nedùm restinguant; ita scrupulosi vanis conscientiæ terroribus eò crudeliùs

vexantur, quò magis ad eos animum intendunt.

6^o. Scrupulos imperandum est, ut suis accuratè fungantur officiis, & sedulo labori incumbant. In occupatione enim maximum est adversus scrupulos præsidium; eos quippè fovet & accersit otium, dum imaginationi occasionem præbet, in varias cogitationes periculosas discurrendi. Manualis præsertim labor, quando plurimum defatigat, scrupulos sæpè remedium est efficacius, quàm cetera ipsis dantur consilia.

Quænam sint scrupulorum causæ, quæ remedia iis adhibenda, solidè & eleganter expositum reperies apud *Clarissimum Duguet*, in opere cui titulus: *Traité des Scrupules*.

PARAGRAPHUS II.

De Conscientia dubia.

Tutissimam regulam cui firmiter adhærere debeat, qui conscientiam habet dubiam, aperiet sequens.

PROPOSITIO.

Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas; quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

Probatur prima pars. Non licet peccandi periculo sese objicere: atqui huic periculo sese exponit qui in dubio, citra ullam necessitatem, agit. Ille enim peccandi discrimen adit, qui agit temerè nullamque habet certam regulam, quâ deprehendere possit utrùm justum sit, an injustum quod operatur: atqui ita se habet qui in dubiis sine ulla necessitate agit; ergo peccandi periculo sese ultrò exponit; ergo, &c. Hinc S. Thomas: *Si ille, inquit, qui plures Præbendas habet, in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, &*

sic se, manente dubitatione, plures Præbendas habet, periculo se committit & sic procul dubio peccat, ut potè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. (Quodlib. 8. art. 13.) Eamdem regulam tradunt ipsimet Philofophi Ethnici: Bene præcipiunt, inquit Tullius, qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum. (Lib. 11. Offic.)

Prob. secunda pars, 1^o. ex Scripturis quæ præcipiunt, ut vitemus periculum: Qui amat vitium, in illo peribit; (Eccli. 3. v. 17.) 2^o. ut peccatum fugiamus quasi à facie colubri; (Ibid. cap. 21. v. 2.) 3^o. ut peccatum reputemus omne quod non est ex fide, id est, quidquid non sit ex intima persuasione, quod licitum sit; 4^o. ut ab omni specie malæ abstineamus. (1. Theffal. 5. v. 22.) Atqui ubi aliquis in dubio partem minùs tutam eligit, ille profectò nec periculum & peccatum fugit, nec rem licitam esse persuasum habet, nec abstinere ab omni specie mala, ut satis patet; ergo si in dubiis urgeat agendi necessitas, pars tutior eligenda est. Hinc S. Augustinus: Graviter peccaret. (homo) in rebus ad salutem animæ pertinentibus, eo solo quòd certis incerta præponeret. (Lib. 1. de Bapt. cap. 3. n. 4. tom. 9. pag. 82.) Hinc etiam S. Antoninus: In iis quæ concernunt forum conscientia, in dubio via tutior est eligenda. (Part. 3. tit. 5. cap. 2. sect. 9.) Hinc tandem celeberrimus Gerson: Agere incertum, & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale. (Reg. 8. tom. 3. part. 1. edit. ultim. pag. 79.)

Prob. 2^o. ratione. Ad licitè hic & nunc operandum, requiritur ut prudenter judicemus nos minimè esse peccaturos: atqui cum dubitans eam partem sequitur quam minùs tutam existimat, non potest prudenter judicare nihil esse peccati pertimescendum: imò longè magis sibi conscius est se peccaturum, ut res ipsa clamat; ergo, &c.

Præterea non minùs cautè sese gerere debet homo, in iis quæ ad salutem æternam pertinent, quàm in rebus temporalibus: atqui ubi agitur de rebus temporalibus, imprudens & malefanus habetur, qui in dubio partem minùs tutam eligeret, dum tutiorem amplecti potest; qui, v. g. escam lumeret quæ an veneno infecta esset dubitaret, dum alia sibi præstò esset, quam certò novit veneni expertem; ergo longè magis temerè & stultè agere, ac proindè peccare censendus est, quisquis in salutis æternæ negotio partem minùs tutam amplectitur.

Solvuntur objeãa.

Objicies 1^o. Si in dubiis pars tutior esset eligenda, aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullà lege prohibitis; siquidem sæpè dubitamus utrum actus sit licitus, quem tamen nulla lex prohibet: atqui nemo tenetur ab iis actionibus abstinere, quæ nullà lege prohibentur; ergo in dubiis minimè necesse est partem eligere tutiorem.

Resp. 1^o. Retorqueo argumentum: Si in dubiis liceret partem minùs tutam sequi, non teneremur à plurimis actionibus abstinere, quas vetat divina lex. Sæpè enim ancipites & incerti sumus, utrum actus sit licitus, necne, qui reverà prohibetur lege divinà: atqui tamen absurdè diceretur non abstinendum esse ab iis actionibus quas divina lex interdicit: ergo in dubiis nunquam licet partem minùs tutam amplecti.

Resp. 2^o. Dist. maj. Aliquandò teneremur abstinere ab actionibus nullà lege eas spectante prohibitis, conc. maj. nullà lege ipsum dubitantem spectante, neg. maj. dist. pariter min. Atqui nemo tenetur abstinere ab actionibus, nullà lege tum eas actiones, tum ipsum dubitantem spectante prohibitis, conc. min. nemo tenetur abstinere

ab actionibus nullâ lege quæ ipsas spectet prohibitis, neg. min.

Fateor equidem nullam nobis incumbere obligationem ab iis actibus abstinendi, qui nullâ lege, sive ad eos actus, sive ad ipsum dubitantem pertinente, prohibentur; sed tenemur in dubiis quasdam actiones omittere, quamvis nullâ lege eas afficiente prohibeantur; tenemur, inquam, vi legis quæ in ipsum dubitantem cadit. Hæc autem lex quam recta ratio, quam Religio imponit, ita se habet: nihil agendum est quod dubites justum sit, an injustum.

Obj. 2^o. Non magis tenemur obtemperare legi, cum dubitamus an obliget, quam fide assentiri dogmati de quo dubitatur an revelatum sit: atqui non tenemur ad posterius; ergo neque ad prius.

Resp. Neg. maj. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia ubi aliquis fide credit dogma de quo dubitat an relevatum sit, in erroris periculum sese conjicit, quod effugere, quantum potest, quisque debet. Contra verò qui dubitans utrùm lex divina aliquid prohibeat, ab eo tamen abstinere, nullum subit peccandi periculum: quinimò magnum adiutus esset peccandi discrimen, si illud ageret quod non sine probabilibus argumentis ipsi videtur à Deo prohibitum.

Obj. 3^o. Lex dubia non potest certam parere obligationem; ergo cum dubitatur utrùm lex aliquid prohibeat, non tenemur ab eo abstinere.

Resp. Dist. conseq. Non tenemur ab eo abstinere vi legis dubiæ, conc. vi legis naturalis quæ vetat ne quis peccandi periculo sese exponat, neg. conseq.

Quando enim dubitamus an hæc vel illa lex obliget, nihil tamen dubitationis est, utrùm debeamus eam partem amplecti, quæ magis à peccato removet. Itaque, cum incertum est an quædam actio prohibita sit, non tenemur ab ea abstinere vi legis, quæ dubia est; sed vi legis naturalis,

quæ omnino certa est; & vetat ne in cognitum peccandi periculum incurramus.

Obj. 4^o. Si pars tutior semper eligenda esset, omnes teneremur in eremum secedere, vel Monasterium ingredi, quia illud vitæ genus tutius est minisque periculosum: atqui hoc falsum est; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Nam illud vitæ genus cuique magis tutum est ac minus periculosum, ad quod à Deo fuit destinatus, factusque idoneus: atqui Deus alios destinavit ad vitam cælibem, alios ad conjugalem, alios ad solitudinem; quemadmodum ergo singula corporis humani membra non eodem funguntur officio, sed distinctis ministeriis serviunt, ut observat Apostolus: ita singuli homines eam vivendi formam profiteri debent, ad quam à Deo vocati sunt: alii enim in sæculo depravantur, qui potuissent, ut ait Augustinus, *in solitudine deificari*; alii in Monasteriis malè vivunt, qui potuissent in sæculo piam sanctamque vitam agere. Ita Autor anonymus Institutionum philosophicarum, an. 1761, Tom. 3. pag. 183.

Obj. 5^o. In iis quæ ad moralem disciplinam pertinent, recentiores Theologi veteribus sunt anteposendi: omnia enim hodiè diligentius excussa sunt: atqui plures Theologi recentiores docent in dubiis eligi posse partem minus tutam; ergo iis adhærendum est.

Resp. Neg. maj. Ut enim fidei, ita & moralis doctrina ad salutem necessaria, à Spiritu Sancto fuit Apostolis tradita, & in eorum persona toti Ecclesiæ: ita scilicet iis promiserat Christus: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (Joan. 16. 13.) Quò propius igitur ad primævum illum totius veritatis fontem acceditur, eò magis pura & sincera fuit doctrina moralis; nedùm ergo recentiores Theologi in hac parte sint veteribus anteposendi, imò non admittendæ sunt eorum opiniones, nisi cum Veterum

doctrina planè consentiant. Infixum animo hæreat illud Scripturæ monitum : *Non te prætereant narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à patribus suis ; quoniam ab ipsis disces intellectum , & in tempore necessitatis dare responsum.* (Eccli. 8. v. 11. & 12.)

Hinc à Clero Gallicano damnata est an. 1700 hæc propositio : *Puto omnia hodie melius esse examinata , & hanc ob rem in omni materia , & præcipue in morali , libentiùs juniores , quàm antiquiores lego & sequor : doctrina fidei à veteribus , doctrina morum magis à junioribus petenda est.* (*Mém. du Clerg. Edit. 1716. tom. 1. pag. 739.*)

PARAGRAPHUS III.

De Conscientia , sive opinione probabili.

Opinio probabilis , prout à Recentioribus definitur , est ea quæ , *quamvis non omninò certa , atamen vel gravi autoritate , vel non modici momenti ratione nititur.* Hinc ab iis duplex distinguitur probabilitas , alia *intrinseca* quæ nititur argumentis à ratione , vel Scriptura , vel Traditione deductis ; alia *extrinseca* quæ ex Doctorum vel testium autoritate repetitur.

Ex præfata definitione patet à Recentioribus duo requiri , ut aliqua propositio dicatur probabilis , Primum ut neque de ejus veritate , neque de falsitate prorsùs constet : alioqui non merè probabilis , sed vel certò vera , vel certò falsa diceretur. Unde liquet sententiam quamlibet probabilem esse incertam , ac proindè dubiam. Secundum , ut nitatur gravi autoritate , vel ratione non levis momenti : quæ tamen autoritas vel ratio , ejusmodi tantùm esse debet , ut sententiam aliquam faciat probabilem , non verò certam ; alioqui jam non probabilis appellaretur , sed certa.

Ad planiorem eorum quæ dicturi sumus intelligentiam , quædam sunt prænotanda. 1º. Opinio dicitur

dicitur *favere legi* , cum affirmant rem aliquam lege prohiberi vel præcipi ; dicitur autem *favere libertati & cupiditati* , quando asserit hanc vel illam actionem nullà lege vetitam esse aut imperatam. 2º. Opinio *tutior* appellatur , cum à violandæ legis periculo magis removet , quàm opposita. 3º. Opinio in conflictu alterius dicitur *probabilior* vel *minus probabilis* , prout ratione & autoritate oppositam vincit , aut ab ea vincitur : si verò ambæ paribus rationum momentis sese librent , tunc vocantur *æquè probabiles*.

4º. *Probabilistæ* nuncupantur recentiores quidam Theologi , qui probabilitatem ut certam tutamque morum regulam intrudunt. Hæc sunt ea de re præcipua ipsorum placita : 1º. Opinionem quamlibet probabilem sequi ita licitum est , ut qui ex ea vitam suam dirigit , non modò securus sit , sed etiam felicitatem æternam assecuturus , & *rectè tendat ad superos* , inquit *Escobar*. 2º. In opinionum delectu , minus probabilis simul & minus ruta , tutiori & probabiliori potest anteferri. 3º. Probabilis fit opinio quæ innititur vel ratione , vel autoritate ; nec opus est ista duo simul jungi , at satis est ut alterutrum adfit. 4º. Ea opinio est verè probabilis quam vel unius Doctoris gravis firmaverit autoritas : *Potest quis* , ait Emmanuel Sa in Aphorismis , *facere quod probabili ratione vel autoritate putat licere , etiamsi oppositum tutius sit : sufficit autem opinio alicujus gravis auctoris.* — *Licitum est* , inquit Filiucius , *sequi opinionem minus probabilem , etiamsi minus ruta sit : est communis Recentiorum sententia.* (*Tract. 21. cap. 4. n. 128.*)

Incredibile est quantam in Theologia morali stragem ediderint nova hæc dogmata , quæ omnibus flagitiis viam aperiunt latissimam : ad ea penitus convellenda , sit.

PROPOSITIO I.

Non licet sequi opinionem minus probabilem quæ favet libertati, in concursu alterius probabilioris quæ legi favet.

Probatur 1^o. ex Scriptura. Non licet homini in peccandi periculum sese ultro conijcere: *Qui enim amat periculum, in illo peribit. (Eccli. 21. 17.)* Atqui peccandi periculo manifestè sese exponit, qui opinionem minus probabilem quæ favet libertati sequitur, in concursu alterius probabilioris quæ stat pro lege. Nam locus est timendi ne legem infringat, si fortè existat: atqui in casu de quo agitur probabilius est legem existere, & obligare: siquidem in eam partem inclinant gravioris momenti argumenta; ergo, &c.

Præterea apud Lucam sic præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. (cap. 10. v. 27.)* Unde patet Deum esse præ omnibus diligendum: atqui Deum non ita profectò diligit, qui sententiam minus probabilem, libertati cupiditatique blandientem amplectitur, dum alia probabilior in gratiam legis occurrit: tunc enim id facit vel omittit, ex quo Deum graviter esse offendendum judicat, & quidem probabilius.

Denique sic jubet Apostolus: *Quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos. (1. Theff. 5. v. 21. & 22.)* Atqui ubi aliquis opinionem minus probabilem quæ favet libertati sequitur, neglecta probabiliori quæ stat pro lege: 1^o. non tenet quod bonum est, cum sciens & volens eligat quod ipsi malum videtur potius quam bonum; 2^o. non abstinere ab omni specie mala, siquidem eam amplectitur partem quam malam esse probabilius existimat.

Prob. 2^o ex SS. Augustino & Thoma, ut alios Patres in ea re consentientes omittamus. S. Au-

gustinus docet *vigiliis continuis excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat, ... ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur. (Lib. 22. de civit. Dei, cap. 23. tom. 7. pag. 687.)* Atqui ineptè prorsus exigit S. Doctor, ut vigiliis continuis excubemus, ne opinio verisimilis fallat, si liceat opinionem, etiam minus probabilem, anteponeere probabiliori quæ favet legi.

S. Thomas expendens an licitum sit plures Præbendas possidere, ait *id periculosè determinari, ... quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire. (Quodlib. 9. art. 15.)* Atqui si liceat opinionem minus probabilem anteponeere probabiliori quæ legi favet, nullum erit in dirimenda illa quæstione periculum propter diversas Doctorum opiniones: poterit enim quisque eam quæ sibi magis arriserit, sine ullo peccandi periculo eligere.

Prob. 3^o. rationibus theologicis: 1^o. Nunquam licet agere contra conscientiam, ut jam probatum fuit: atqui contra conscientiam suam agit, qui opinionem minus probabilem præ aliâ sequitur quæ probabilior est, & quæ pro lege militat; siquidem ita pronuntiat ipsius conscientia: *Probabilius est ac verisimilius actionem hanc esse malam & lege prohibitam; ergo, &c.*

2^o. Non licet imprudenter & temerè agere: atqui imprudenter sese gerit qui sententiam minus probabilem eligit, posthabita probabiliori quæ favet legi: ut enim prudenter quisque agat, moralem habeat necesse est de honestate suæ actionis certitudinem: atqui eâ prorsus caret qui opinionem minus probabilem amplectitur, spretâ probabiliori quæ pugnat pro lege: siquidem, eo ipso iudice, quod agit potius illicitum est, quam licitum; ergo, &c.

3^o. Novitas doctrinæ in iis quæ ad fidem & mores pertinent, falsitatis notam præ se fert manifestissimam: atqui novella est sententia quæ docet

licitum esse opinionem sequi minus probabilem; contemptâ probabiliori: *Quodd in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi probabiliorem eligendam judicamus*, inquit Clerus Gallicanus in Comitibus an. 1700., hoc novum, hoc inauditum. (*Mém. du Clerg. tom. I. pag. 742. Edit. de 1716.*) Miserrima igitur Patrum tempora, quibus Deus tantum arcanum invidit quo nihil commodius, nihil ad evellendos scrupulos aptius, nihil ad complanandam salutis viam expeditius.

PROPOSITIO II.

Non licet sequi opinionem probabilem quæ favet libertati, præ altera æquè probabili quæ stat pro lege.

Prob. Qui animum habet duabus oppositisque opinionibus æquè probabilibus distractum, is verè proprièque dubitat; siquidem non potest hanc, potius quàm illam opinionem veram judicare, sed inter utriusque veritatem & falsitatem suspensus fluctuat. Hinc si quis ab homine in hoc statu constituto quæsierit, utra sententia vera sit, ingenuè fatebitur se nescire, incertum esse, dubitare; tenerur ergo vulgari illâ lege, quâ jubemur in dubiis partem tutiorem consecrari: atqui partem tutiorem non sequeretur, si opinionem quæ favet libertati eligeret, neglectâ alterâ æquè probabili quæ stat pro lege. Posteriorem enim hanc sententiam amplectendo, in nullum violandæ legis divinæ periculum incurreret; huic autem periculo sese objiceret, si alteram opinionem sequeretur, ut per se manifestum est; ergo, &c.

Hinc Clerus Gallicanus, in Comitibus an. 1700., inter alias regulas, istam ordine primam statuit: *In dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod in hoc casu unice tutum est;*

neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. (ubi suprâ.)

COROLLARIUM.

Ergo Probabilistarum doctrina non potest esse morum regula: in eo quippè sita est, ut semper liceat opinionem probabilem, id est, à quibusdam Casuistis approbatam sequi, etiam in conflictu alterius quæ probabilior sit, & cum lege magis consentiens: atqui horrendam hanc doctrinam, quasi tutam morum regulam, proponere grande sit nefas: quantum enim à Scripturis, à Patribus, à ratione sit aliena demonstravimus. Eâ semel admisâ, nullum erit flagitium quod licitum & innoxium non evadat: ex hoc scilicet fonte manarunt tot Casuistarum decreta, quæ populi Christiani pietas tam justâ detestatione insecta est, & quæ sacra Episcoporum autoritas tam merito anathemate profligavit, ut potè quæ calumniam, cædes, abortiones, furta, usuras, &c. permittunt.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1^o. Qui ex duabus opinionibus minus probabilem sequitur, dubitat quidem *speculativè* utra sit vera, sed non dubitat *practicè*; quia certò novit tutè agere, qui opinionem probabilem sequitur, ergo hic locum non habet hoc effatum: *In dubio pars tutior est eligenda.*

Resp. Neg. ant Quia dubium *speculativum* necessaria in conjunctum est cum dubio *practico*. Quando enim dubitamus verane sit aliqua opinio, an falsa, eo ipso dubitamus an liceat eam sequi. Quæ duo simul devincta sunt & colligata, ut vel leviter attendenti satis patet.

Obj. 2^o. Opinio minus probabilis in concursu probabilioris remanet verè probabilis; ergo licet eam sequi.

Resp. Neg. ant. Nam *probabile*, ait Cardinalis Iurea, *idem importat ac dignum ut approbetur.* (In 3. sent. disput. II. art. 4. sect. 281.) Atqui opinio minus probabilis in conflictu probabilioris, minime digna est quæ assensum & approbationem obtineat; siquidem prævalent rationum momenta quibus nititur opposita sententia. Quinimò non potest animus opinionem minus probabilem non improbare; siquidem eam falsam potius quam veram iudicat.

Inst. Si Petrus doctior sit Joanne, numquid idcirco Joannes non erit doctus? ergo pariter ex eo quòd opinio sit probabilior altera, minime sequitur alteram hanc non esse verè probabilem.

Resp. Neg. conseq. & pariat ratio disparitatis est, quia inter majorem unius hominis & minorem alterius scientiam nulla est vera oppositio; ac proinde mirum non est, quòd altera alteram non destruat: contra verò duæ opiniones quarum alia probabilior est, favetque legi, alia autem minus probabilis, & favet libertati, ita contradictoriè opponuntur, ut veritas unius falsitatem alterius necessariò importet, quales sunt istæ: *Hic contractus est licitus; hic idem contractus non est licitus*, idcirco major probabilitas unius minorem probabilitatem alterius prorsus elidit.

Obj. 3^o. Subditi licitè possunt, imò debent Superioribus obedire: atqui non rarò contingit ut Superior id præcipiat faciendum, tanquam probabile, quod inferior censet minus probabile; ergo potest in hac hypothese subditus, imò debet opinionem minus probabilem sequi.

Resp. Dist. maj. Subditi debent Superioribus obedire in iis quæ legi divinæ sunt consentanea, vel talia probabilius sibi videntur, conc. in iis quæ legi divinæ sunt contraria, vel hujusmodi esse probabilius existimant subditi, neg. maj.

Itaque quod jubet Superior, si cum lege divina manifestè consentiat, tunc parere debet subditus;

si legi divinæ apertè contrarium sit, tunc debet fortiter resistere, nedum obtemperare teneatur; ubi verò probabilius censet subditus præceptum Superioris cum lege divina pugnare, tunc non potest citra culpam jussu exequi, quia contra propriam conscientiam agere convincitur, quod nunquam licitum est.

Obj. 4^o. Opinio non est probabilis, nisi cum manifestæ rationi, Scripturæ sacræ, & Traditioni non adversatur: atqui licitum est opinionem sequi quæ nec manifestæ rationi, nec Scripturæ sacræ, nec Traditioni adversatur; ergo semper licet opinionem quamlibet probabilem sequi.

Resp. Neg. maj. Hic enim agitur de opinione probabili, qualis intelligitur à *Probabilistis* quos aggredimur: atqui passim docent opinionem verè probabilitate donari, si quorundam Doctorum, imò & unius autoritate muniatur. *Aliquando*, inquit Escobar, *unus tantum Doctor gravis admodum opinionem improbabilem potest efficere.* (Proximum Theolog. moral. exam. 3. de conscientia, cap. 3. n. 8.) *Sed dubitabis*, ait Sanctius, *an autoritas unius Doctoris reddat opinionem probabilem; respondetur reddere.* (Summ. lib. I. cap. 9. n. 7.) Quasi verò libri quàmplurimi doctorum hominum erroribus non scateant, quasi quidpiam aliud sint hæreses, quàm falsæ opiniones ab eruditis invecæ!

Fucum igitur imperitis facere volunt Casuistæ, quando simulant ad opinionem probabilem se requirere, ut neque à Scriptura, neque à Concilio- rum & Patrum decretis dissideat. Hanc enim conditionem sibi incommodam passim retrahunt & ablegant, idque verè probabile esse decernunt, quod vel ab uno, vel à paucis Doctoribus, nempe Casuistis, propugnatum fuerit. Si verò hujusmodi opinionem rationi, Scripturæ & Traditioni contrariam demonstraveris, non idèò suam amittet probabilitatem, *quia debet quisque sibi persuadere,*

inquit Escobar, has rationes quas ipse insolubiles existimat, ab alio solvi posse, nec ob illas, aliorum opiniones tanquam improbables rejicere fas sit.

PROPOSITIO III.

In materia juri naturali sub eâ non licet sequi opinionem probabiliorem, ratiâ tutiore, minus probabili.

Prob. 1^o. ex Scriptura quæ ita monet: *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* (Proverb. 14. 12.) Atqui hæc via quæ videtur homini justa, ea procul dubio est, quam probabiliorem judicat; quis enim sapiens justam putet opinionem, nisi eam majori probabilitate munitam existimet? Ergo qui opinionem probabiliorem sequitur, neglectâ tutiore quæ scilicet favet legi, in mortis periculum incurrit.

In ista Scripturæ verba sic notat Gregorius Magnus: *Sapè ... opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sapè unde placari iudex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, ... unde sancti viri ... sua etiam benè gesta formidant; ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.* (Lib. 5. Moral. cap. 7. 11. 12. Tom. 1. pag. 143. edit. BB.) Nèdum igitur conscientie securitatem pariat major probabilitas, peccat divinamque iram concitat, qui illud agit quod boni speciem præ se fert, nisi actio cum lege divina conferat; quomodo igitur extra culpam erit qui non ignorat opinionem quæ sibi probabilior videtur, minus tutam esse?

Prob. 2^o. ex Augustino qui principium istud statuit: *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat.* (Epist. 47. n. 4 tom. 2. pag. 112.) Hic generatim pronuntiat S. Doctor peccare hominem qui rem ex

se malam agit, licet eam bonam esse existimet, culpâ igitur non vacat qui illicitum aliquid facit, quod licitum esse probabilius opinatur.

Prob. 3^o. ex S. Thoma qui semel tradit à peccato non excusare juris naturalis ignorantiam, nisi invincibilis sit, hujusmodi verò in iis tantum esse qui rationis usum penitus amiserunt. *Ignorantia juris*, inquit, *non excusat à peccato, ni fortè sit ignorantia invincibilis, sicut est in furiosis & amensibus, quæ omnimò excusat.* (Quodlibet. 3. quæst. 12. art. 27. ad 2.) Porro si à peccato non liberet ignorantia in iis quæ contra jus naturale sunt, sequitur non licitum esse in materia legi naturali subjecta, probabiliorem amplecti opinionem, posthabitâ minus probabili, sed magis tutâ.

Prob. 4^o. isto vulgari effato: *In dubiis pars tutior est eligenda*: hæc enim regula non pertinet tantum ad casus in quibus pares sunt utrinque probabilitates, verum etiam ad eos omnes in quibus probabilitas, quamvis major, ad certitudinem moralem non perducitur, neque omnem ex animo dubitationem excludit. Quo sensu prædictum axioma suis in decretis adhibent Summi Pontifices.

Clementi III, v. g. propositum fuit istud cujusdam Sacerdotis factum: *Ut culpam ab adolescente commissam puniret, cum suo cingulo (ceinture) percussit.* Culter verò huic zonæ illigatus, è vagina sua elapsus adolescentem à tergo fauciat. Aliquantò post integram hujus vulneris sanationem, juvenis in morbum incidit & obiit. Cum aliqua, licet satis vana, superesset dubitatio tutrum plaga prius recepta, hujus adolescentis morti occasionem præbuisset, consultus fuit Summus Pontifex quid de illo Sacerdote sentiret. In ipsius responsum: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, injunctâ tamen penitentia congruente.* (Lib. 5. decret. tit. 12. cap. 12.) Plurima hujusmodi judicia in

corpore juris occurrunt. Porrò longè probabilis erat plagam adolescenti fortuitò infligam ad ipsius mortem nihil contulisse; hæc igitur fuit Romani Pontificis mens, ut opinioni probabiliori anteferri debeat opposita, quamvis minus probabilis, quando tutior est.

Et verò cur in dubiis non licèt partem minùs tutam amplecti? nonne quia in peccandi discrimen sese conjicit qui ita se gerit? atqui idem periculum sibi adjunctum habet opinio magis quidem probabilis, sed minùs tuta. Probabilitas enim quotiès moralem certitudinem non parit, totiès aliquam in mente dubitationem relinquit.

Prob. 5^o. Non minus diligentia in salutis quàm in valetudinis negotio est adhibendum: atqui ubi agitur de valetudine, nemo prudens opinionem probabiliorẽ sequitur, dimissa tutiore. Exempli gratiã, tibi offerantur centum pocula, ex quibus unum duntaxat veneno sit infectum; si unum præ ceteris assumas, longè probabilis est fore ut venenatum non haurias: atqui tamen secundum humanæ prudentiæ regulas in insaniam notam incurres, nisi ab omnibus poculis abstineres; quantò magis igitur in his quæ ad salutem pertinent, opinioni probabiliori anteponenda est minus probabilis, sed tutior?

Eã de re tum veteres Scholasticos, tum recentiores & insignioris notæ Theologos consentire patet ex testimoniis quæ recensuit doctissimus Henricus de S. Ignatio, in opere erudito cui titulus: *Ethica amoris.* (Lib. 2. cap. 81. & seq.)

C O R O L L A R I U M.

Huic igitur regulæ standum est, quam Bellarminus Cardinalis in sua ad Nepotem Epistola his verbis commendat: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò dedet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore*

dicant aut faciant; & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nullã ratione, nullius imperio, nullã utilitate temporali propositã, ad minùs tutam declinare: agitur enim de summa re, cum de salute æterna tractatur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. S. Thomæ locum ubi expendit an duorum vel trium testimonium ad sententiam ferendam sufficiat. Partem tenet affirmantem, istamque rationem affert: *Certitudo non est quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, & exigantur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia & variabilia; & idèd sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile quòd magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum unius: & idèd cum reus sit unus qui negat, sed multi testes asserant idem cum actore, rationabiliter institutum est jure divino & humano, quòd dicto testium stet.* (2. 2. q. 70. art. 2. in corp.)

Inde concludunt adversarii; juxta S. Thomam, licitum esse opinionem probabiliorẽ sequi, quamvis minùs tutam; alioqui non sufficeret probabilis certitudo, quæ aliquandò à veritate defleat.

Resp. consecutionem hanc S. Thomæ perperam affingi, 1^o. quia eo in loco non agitur de probabilitate quæ alteri sit opposita. Factum enim à multis testibus asserti supponitur, dum nullus ipsum negat, nocentis quippè testimonium pro nihilo reputari debet, cum factum inficiari ipsius magnopere interfit. 2^o. In casu de quo differit S. Doctor, major securitas petenda est ex parte societatis, cujus incolumitas postulat ut coerceantur qui ipsius tranquillitatem perturbant. In gratiam igitur

Judicis sententiam erentis simul concurrunt & major securitas, & major probabilitas.

3^o. Apud S. Thomam de facto potius agitur, quàm de jure. In stabilienda autem facti alicujus veritate prævalere debet major probabilitas, ut omnes contententur. Id verò nihil affinitatis habet cum præsentis quæstione, utrum nempe liceat in materia juri naturali subjèctâ probabiliorem sequi opinionem, posthabitâ minùs probabili, sed magis tutâ.

Obj. 2^o. Sic habet Clarissimus Gerson: *Si quis opposuerit quod dubitans de aliquo, an sit illicitum &, stante dubio, illud agens peccat, quia se discrimini scienter objicit; respondeo regulam hanc... intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens: & magis aut. saltem æquè inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum, sicut quod est licitum. Secùs est ubi mens plus inclinatur & judicat quod est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem & fixam, quia nec hoc ipsum requiritur; (Tract. de præparat. ad Missam, consider. 3. tom. 3. pag. 325. Edit. Dupin.)* ergo, judice Gerson, licet probabiliorem sequi opinionem præ opposita tutiore, sed minùs probabili.

Resp. Neg. conseq. genuinum Gersonii sensum velis assequi, animadvertendum est eum in superiori articulo statuere ad celebrandam Missam non requiri, ut aliquis se in gratiæ justificantis statu constitutum esse noverit certitudine evidenti, quæ obtineri non posset, nisi ex speciali revelatione; at sufficere certitudinem moralem: *Sufficit certitudo talis, qualem in materia morali consuevimus expectare & capere; quæ certitudo potest appellari certitudo moralis: (Ibid. consider. 2.)* neque necesse est ejusmodi certitudine tollatur omnis scrupulus aut dubitatio de peccato mortali, sed si scrupuli, hæc dubitatio nullo nituntur fundamento, neque ex probabilitate opposita nascuntur; at vana sunt

nanis formidinis figmenta, ut statim post objecta verba declarat ipse Gerson: *Sunt itaque nonnulli & plures, qui fortis sunt phantasiæ, qui præterea sæpè trepidant timore, ubi judicant etiam non esse timendam. (ibid. considerat. 3.)* Requirit ergo Gerson certitudinem moralem, quæ tamen leviusciculos quosdam & inanes scrupulos non semper excludat; quis autem negaverit ad licitè agendum sufficere certitudinem moralem?

Obj. 3^o. Pugnât nostra sententia, 1^o. cum Cleri Gallicani declaratione an. 1700, cujus ista sunt verba: *Absit verò ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; 2^o. cum censura quæ eandem propositionem confixit Alexander VIII. Ergo, &c.*

Resp. Neg. ant. Id enim unum asserimus, nempe in iis quæ ad jus naturale pertinent, non licitum esse opinionem probabiliorem sequi in concursu alterius oppositæ, minùs quidem probabils, sed tutioris; quia pro lege militat. Damnata verò propositio enuntiat nunquam fas esse opinionem amplecti probabiliorem, quod falsum est. Nonnulli quippè sunt casus in quibus id licet; v. g. nonne Episcopo sufficit ratio probabilissima, ut aliquem à lege jejunii eximat? nonne debet inferior superiori parere in rebus quæ ex natura sua non sunt malæ, quando id quod præcipitur secundum opinionem probabiliorem licitum est? Ergo censura istius propositionis, *non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*, ad nostram thesim nihil pertinet.